

1686
776

1686
1953



BRASILIA
 Genus nobilitate, armorum et litterarum
 scientia praestant mo Aeterni
 CHRISTOPH AB ARTISCHAV
 ARCISEWSKI
 nuper in Brasilia per triennium tribuno
 militum Prædentiali Fortiss. Felicitis
 tabulam hanc prono cultu
 D.D.D. Johannes Blaeu.

Excudebat Johannes Blaeu.

Dutchische meten 15 op een graad
 Spanische leguas 15 op een graad
 Engelse en Franckische meten 25 op een graad

B R A S I L I A

dis auribus, brevi cauda, reliquo corpore cinereo: eadem lucifuga sunt, nec nisi noctu ad pabulum prodeunt. *Cottas* vero nominant, magnitudine & forma & sapore leporum: rufo colore, parvis auribus, cauda fere nulla. Majores sunt ejusdem fere speciei, quas *Pacas* vocant, rostro & facie felis, fusco colore, candidis maculis interstincto: neque carne tantum, sed & corio ipso pratenero. Ceterum insolito spectaculo *Tatus* sunt, ad porcelli magnitudinem, corio squamatim loricato, adeo ut equi cataphracti speciem reddant: ex eo caput duntaxat, more testudinum exerunt, pedibus contractis, specubus ferme, uti cuniculi sese continent. Illud vero mirum in Cerigonibus, ex cujus alvo duæ pendent mantice, in quibus catulos circumferunt. Valde etiam inuitata & effigie & natura est animal, quod ab re ipsa Lusitani *Pigritiam* appellant, rostro fædo, & unguibus ad digitorum similitudinem prominentibus.

Populi nullos omnino colunt Deos, omnibus tantum & anguriis ad infaniam dediti. Viri, feminaeque nudi incedunt, robusti, fluxo à vertice duntaxat capillo: nam cæteras corporis partes identidem depilant. Gregatim peregrinantur, ordine simplici, silentio miro, virum uxor anteit. Vino & frumento in hæc usque tempora caruere, fativa radice victitantes in farinam redacta, quam *Mandiocam* appellant. Sub eodem tecto, ad inversæ modum carinæ, prælongo, multæ simul familiæ degunt: noctu

ad noxia vitanda animalia cubant in retibus supra terram suspensis: vivunt in diem, & quicquid habent, in commune facillime conferunt, nihil in posterum solliciti. Natandi arte ad miraculum usque excellunt. Captos in prælio hostes egregia multorum dierum cura saginatos, ingenti cum tripudio maçant, vorantque tota veribus membra. Ex eadem provincia in Europam traducuntur plurimæ merces, magna ambari copia, balsamum præstantissimum, lignum Brasiliium, ad tingendos pannos expetitur; tabacum, & plurimum gingiberis.

Capita, celebratiorisque urbes hujus provincie duæ sunt: Prior *S. Salvador* five *Babia de Todos los Santos*, in qua tam Episcopus, quam Governator cum reliquis ministris Regiis domicilium habet. Eam paucis retro annis Fœderati Belgii populus, sumtibus Societatis Indicæ, armata manu expugnavit, annumque circiter tenuit, usque dum obsessa denuo ab Hispanis, pristini juris facta fuit. Altera urbs *Olanda* vocatur, in Pernambuci Capitania sita, arcibus duabus valida, munitaque. Hanc quoque ejusdem Societatis armis anno 1630, audaci facinore, ducibus Lonckio & Waardenburgio, cepimus, & in hunc usque diem servamus victores, ut jam signa sua victricesque aquilas non solum ad orientem; verum etiam ad occidentem in Novo Orbe circumferant Batavi, alique ejusdem belli adversus Regem Hispaniarum focii.

Urbes à Belgis nuper expugnate.



D E S C R I P T I O

B R A S I L I Æ,
E X M A F F E I O.



RASILIAE vero descriptio, prout à Joanne Petro Maffeo edita est, sic se habet: Brasiliam paulo post Capriale accessum, Vesputius Emanuelis Portugallie Regis auspiciis accuratus

exploravit. Hæc à duobus ab Equatore gradibus partibusque ad gradus quinque & quadraginta in Austrum excurrer, trigoni oblongam speciem refert, cujus basis in Equatorem & Septentriones obversa, ab oriente in occidentem recta protenditur, angulus extremus ignotas ad Meridiem regiones attingit. Latus in orientem spectans, interposito Oceano Hesperiae, Ethiopibus objacet: alterum latus à provincia Peruana determinat juga montium ad eam celsa, ut ipsos avium volatus fatigare dicantur, uno adhuc, eoque difficillimo transitu. Regio tota imprimis amœna est, cœli admodum jucunda salubrisque temperies. Lenium quippè à pelago ventorum commodissimi flatus matutinos vapores, ac nebulas tempestive disjiciunt, solesque purissimos ac nitidissimos reddunt. Scætet ea tota ferme plaga fontibus ac sylvis & amnibus inclytis: è quibus (ut reliquos taceam) is quem *Argentæum* vocant, leucarum 40 ostio in Oceanum fertur, adeo violentus, ut inde nautæ dulces hauriant latices, priusquam tellurem ex alto conspiciant. Terra partim in planitiem soluta, partim in colles clementer asurgens, felix præpinguibus glebis, & riguo solo semperque vernante, credita femina multiplici reddit fenore. Sacchari præsertim est ferax, quod cœleste donum Attico melli multis partibus præferendum, proceris arundinibus condidit natura: è quibus aquæ dulcissimus humor expressus, in ahenis excoquitur, tum formis in panes cogitur ad metam figuram: dein rursus, ubi liberit, eliquatus, artificis manu pigmentis ad instar ceræ varias in effigies indiscreta pene similitudine trahitur. Cujus generis in hisce provinciis plurimæ sunt machinæ, quibus saccharum conficitur, (Lusitani vocant *Ingenios*) ita ut ad solam urbem Olyssipponensem quotannis traducantur ad minimum viginti sex millia cistarum, quarum singulæ pendunt ad minimum quindecim arrobas, ita ut cistæ istæ 26000 efficiant 370000 arrobas; quarum singulæ efficiunt 32 arrates. id

anno 1617 observatum fuit; quo eodem anno Vianam appulerunt supra quinque millia cistarum, ut de aliis portibus Portugallie nihil dicam, ad quos quoque magnum numerum cistarum appellere certissimum est. Porro de omni hoc saccharo Regi in vectigal in ipsa Brasilia solvuntur decem pro unoquoque centenario, excepto illo saccharo, quod Domini machinarum proprio suo periculo evehunt, quod liberum est à vectigalibus. In regno autem Portugallie simulac appulerint, solvunt, viginti pro unoquoque centenario.

Certis etiam è plantis, quas vulgo *Copaibas* vocant, inciso per ætatem cortice, in modum balsami liquor suavissimi odoris emanat, cuius cum ad alios mortualium usus, tum ad curanda vulnera & cicatrices tollendas, mirificam vim esse perhibent. Eæ plantæ cernuntur affricu animalium attrita, quæ à serpentibus venenatis, aut à feris icæta, ad remedium illud ipso naturæ instinctu se conferunt. At *Zabucuales* quæ dicuntur, admodum excelsæ, magnos ferunt summa duritie calices, ore in terram obverso, & quidem admirabili naturæ solertia pyxidatim operto, quibus calicibus nuces castaneæ saporis egregii continentur, quæ ubi maturuerint, excusso confestim operculo, paulatim ipsæ per se in alimentum incolarum à calice decidunt. Sylvestria etiam sunt *Cajusia* pyra, succi plena, & innoxia, itaque mediis caloribus avidè manducantur. Ceterum in imo pyro faba quædam extuberat cortice amarissimo, prædulci medulla, sitoreatur. Pyro refrigerandi est vis, faba calefacit. Verum ex omni genere, palma tribuitur iis, quos vulgus *Ananazes* appellat. Planta est humilis, cujus è ramis veluti pinea nucamenta dependent præmollia: hæc suo tempore in frustra dissecta, gratissimo simul odore ac sapore non recenti duntaxat edulio sunt, verum etiam in longum tempus asservantur è saccharo. Iam vero elati in eas regiones ex nostro orbe melopepones, cucumeres, malogranata, ficus, viteque biferæ ac triferæ, necnon multiformia mala medica suppetunt. Ex animalium genere, apri sunt amphibii, carnibus optimis ac saluberrimis, qui quod priores pedes per breves habent, posteriores autem prælongos, tardiore sunt cursu: itaque deprehensi à venatoribus, quam proximum est, aquis sese immergunt. *Antæ* sunt etiam gentis vocabulo ad multæ similitudinem, sed minores, & buccæ tenuiore, inferiore autem labro tubæ instar oblongo, rotundis

164. fol AA
1953